



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Passio Sanctorvm Martyrvm, Getulij, Amantij, Cerealis, Primitiui, Symphorosae, ac septem filiorum

Cardulo, Fulvio

Romae, 1588

Notae Ad Passionem Ss. Martt. Symphorosae Et Septem Filiorvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9427

AD PASSIONEM

SS. MARTT. SYMPHO-

ROSAE ET SEPTEM

FILIORVM.



VSEBIVS historiographus.] Hic Cæsariensis debet intelligi, Cæsareæ Palæstinæ nimirum Episcopus. Fuit autem in sacris litteris apprime versatus, & bibliothecæ diuinæ studiosissimus peruestigator vna cum Pamphilo martyre, cum quo ei arctissima familiaritas intercessit, vnde etiam cognomen inuenit, & Eusebius Pamphili est appellatus; Ecclesiasticam historiam in x. libros distinctam, & annos CCCXXV. à Christo ad Constantinum Magnum complexus, ex Philone, Iosepho, Clemente Alexandrino, Egesippo, Hippolyto Episcopo, Papia, & alijs, vt Nicephorus lib. I. cap. I. est auctor, conscripsit. Alia præterea plurima edidit volumina, & in ijs illustres de martyribus commentarios; floruitque potissimum Constantino Magno, & Constantio eius filio Augustis; S. Hieronymus libro de viris illustribus, & ad Pammachium & Oceanum Epist. LXV. & in Apologia aduersus Rufinū, et ad Marcellam Epist. CXLI. Memorat Africanum.] De hoc Iulio Africano
idem

idem Eusebius meminit lib. I. hist. Ecclesiast. cap. VI. ubi eum haud vulgarem historiographum vocat & cap. VII. refert ad verbum longam sanè eiusdem Africani disputationem de concordia Euangelistarum Matthæi & Lucæ; & lib. VI. cap. XXIV. sic scribit; Per idem tempus (id est Gordiano Imp. qui Maximino successit anno Christi CCXXXIX.) Africanus commentariorum scriptor, qui resoi appellatur, magna commendatione ad hominum famam profuxit. Venerunt autem ad nos eiusdem Africani et alia quinque annalium volumina accuratè lucubrata, in quibus se Alexandriam proficisci dicit, &c. Sanctus Hieronymus lib. de scriptoribus ecclesiasticis, Iulius, inquit, Africanus, cuius quinque de temporibus exstant volumina, sub. Imp. M. Aurelio Antonino, qui Macrino successerat (anno Domini CCXIX.) legationem pro instauratione urbis Emmaus suscepit, &c. Idem S. Hieronymus in cōment. ad cap. IX. Danielis, enumeraturus Ecclesiæ magistrorum sententias de obscurissima questione hebdomadarum Danielis, primo loco Iulij Africani sententiam ponit, quam ex quinto de temporibus volumine refert ad verbum. Eam porro sententiã postea grauiissimi quique scriptores secuti sunt, vt S. Ioan. Chrysostomus serm. II. contra Iudæos, Theodoretus in IX. caput Danielis, & alij. Epistola item Iulij Africani ad Origenem, & Origenis responsio super questione de historia Susannæ (de qua meminit idem Eusebius lib. & cap. supra ultimo loco adductis) inter Origenis opera exstant per Ambrosium Mediolanen.

lanensem S. Benigni Abbatem in Latinum conuer-
sa. Denique eiusdem Iulij mentionem faciunt Sui-
das in suo dictionario, verbo Αφριγγος, & Nice-
phorus lib. v. ecclesiast. historiae cap. XXI. Eodem,
inquit, tempore (Maximino Aug. qui imperavit ab
anno Salutis CCXXXVI. ad annum CCXXXVIII.) cum
Origene Iulium Africanum vixisse historiae tra-
dunt; qui & illius fuerit sectator, & diligens
Annalium scriptor, quos quinque complexus est li-
bris. In eis scribit se praecleara fama Heraclae exci-
tum profectioem Alexandrinam suscepisse. Afri-
canus hic librorum eorum, qui inscribuntur Cesti,
auctor perhibetur. Dedit is quoque ad Origenem epi-
stolam, &c. Floruit ergo hic Iulius Africanus sub
Imperatoribus M. Aurelio Antonino Heliogabalo
(qui Macrinum proxime secutus est, anno redempti
orbis CCXIX.) M. Aurelio, Alexandro Seuero, Ma-
mææ filio, C. Iulio Maximino, M. Antonio Gordiano
III. qui occisus est in Persidis finibus anno CCXLV.
Trittenhemius praeter quinque libros chronicorum,
alia quaedam enumerat Iulij Africani volumina,
quem philosophum, historicum, & Theologum in-
signem, diuinarum scripturarum, ac librorum arden-
tissimum amatorem fuisse ait, suisque studijs & sum-
ptibus apud Caesaream Palaestinae egregiam condidisse
bibliothecam.

De vrbe regia.] Romam significat, quæ sanè
quantopere regium nomen semper exosum habue-
rit, Sp. Melij, & Tib. Gracchi declarat interitus,
qui propter suspitionē regni appetendi sunt necati,

vt præter ceteros Cicero auctor est in *Antonium*,
 & pro *Milone*, atque alibi sæpius. Est & apud *Liuium*.
 lib. XXVII. P. *Cornelij Scipionis* vox illa præclara,
 cum à circumfusa *Hispanorum*, & ante deditorum,
 & prædie captorum multitudine Rex cum ingenti
 consensu appellatus, silentio per præconem facto, Si
 bi maximum nomen Imperatoris esse dixit, quo se
 milites sui appellassent, regium nomen alibi magnū,
Romæ intolerandum esse: regalem animum in se ef-
 se, si id in hominis ingenio amplissimum ducerent, ta-
 cite iudicarent, vocis usurpatione abstinere. hac
 igitur ciuitas, quæ libera non modo regnum ac do-
 minatum, sed ne potentiam quidem cuiusquã ferre
 æquo animo potuit, secum ipsa depugnans, & dome-
 sticis opibus victa, demũ in eum statum adducta est,
 vt principes tolerauerit eos, qui verbo *Cæsares*, &
Impp. & *Augusti* dicebantur, re vera plusquam
 reges & erant, & habebantur; cum ipsis regibus
 non modo imperarent, sed nomen etiam, & potesta-
 tem, atque insignia regia impertirent. Hac de causa
 eandem sæpe dominam urbem appellat *Ouidius*, vt
Tibullus lib. II. eleg. v. & *Ammianus Marcellinus*
 æternam: alij urbium, atque adeo totius orbis regi-
 nam dixerunt, vtpote gentium victricem ac trium-
 phatricem, caput imperij, sedem, ac domicilium. *Ho-
 rat.* lib. I. epist. VII. Mihi iam nõ regia *Roma*. *Mart.*
 XII. epigr. VIII. Terrarum Dea gentiumq. *Roma*,
 Cui par est nihil, & nihil secundum.

Christi martyrum res gestas conscripsisse.]
 In illis videlicet quinque annalium libris. hoc autẽ

memo-

memorasse crediderim Eusebium in ijs, quos de Martyribus edidit, commentarijs; quod opus à Trittēhemio Martyrologium nominatur.

Vna fermè die.] Recte dictū. postridie enim eius diei, quo B. Symphorosa necata est, eius filij occisi memorantur paulo inferius, ubi narrata matris morte ac sepultura, statim sequitur, Alia uero die, &c. In nonnullis codicibus legitur, Vna die; quæ quidem lectio recipi potest, si nihilominus illud aduerbium, fermè, pro apposito habeatur; sic enim alioqui ferè loqui solemus, etiam cum non longum spatium supra unum diem significare uolumus, nisi forte primo loco diem intelligas pro die civili, qui XXIII. horis definitur, atq. ut olim Atheniensium, sic hodie Itolorum more, & ex communi Sanctæ Ecclesiæ consuetudine, à Sole occidente ad solem iterum occidentem (contra ac Babylonij faciunt, qui diem à solis ortu ad alterum ortum obseruabant) terminatur; & quamuis noctem comprehendat, diem tamen, inquit Seruius, dicimus à parte, quam constat esse meliorem. Ita autem eadem die mater & filij mortui sunt; illa quidem forsitan post solis occasum (nam Beda & Equilinus, pro Alia uero die, habent, Mane autem factò) hi uero post solis exortū; secundo loco, Alia uero die, accipias uel pro die artificiali, qui à quibusdam hemisphericalis uocatur, & XII. horis semper à sole oriente ad occidentem continetur, cuius contrarium tempus est nox, hoc est, umbra terræ, totidem horis definita, ab occasu solis ad eiusdem ortum; sic dicimus dies noctesque laborare; uel pro civili

uili

nili iuxta morē & consuetudinē ueterum Romanorum, qui post reperta horologia in XXIII. horas diē tribuerunt à media nocte ad mediam noctem, ut sexta hora noctis perpetuo esset & diē antecedentis finis, & consequentis initium; uti meridies Vmbris diem inchoabat ac finiebat: quod Romanorum institutum, hodieque Galli & multæ aliæ gentes sequuntur ac seruant usque adeo, ut quod ante mediam noctem gestum sit, id precedenti diē tribuant, quod à media nocte, subsequenti diē adscribant. Videtur etiam verisimile Matris ac filiorum cædem factam intra XXIII. horarum spatium; siue id totum vni diē, siue partem priori, partem posteriori assignes. Vt cunque autem dicas, à veritate historiæ non recedes; quæ sane historia ne in hac quidem temporis circumstantia inter se pugnantia continere videatur, aut proba emendatam & legitimam lectionem. Vna ferme diē, aut, si ferme, respuis ac tollis, tum demū, vt, quod infra sequitur, Alia vero diē, constare possit, hanc veterem diē distinctionem, quam ex Macrobio, Saturnal. lib. I. cap. III. Gell. lib. III. cap. II. Andrea Alciato, Parerg. lib. III. cap. XI. & lib. X. cap. III. attulimus, adhibeto.

Inter quos B. Symphorosam.] Sic legitur in omnibus Martyrologiis, antiquisque & manu scriptis codicibus: sed græcæ vocis atque etymologiæ ratio Sympherosam, vt habet plumbea Lamina, de qua supra in vitam S. Getulij memorauimus, siue Sympherusam postularet: est enim ἀπὸ τῆ συμφῆρειν, quod est, conferre. Ciuitas à Græcis condita græcis
nomini-

nomnibus delectabatur. Hinc & Getulius S. Symphorose vir, Zoticus quoque dictus est (quod viuacem, viuificum, vitalemque significat) & eius filiorum nomina Nemesius, Stacteus, Eugenius, græca sunt voces.



T I B V R .



P V D Tiburtinam urbem.] Tibur, urbem (vt eius antiquitatem, amœnitatem, celebritatem breuiter attingam) XVI. mill. ab Roma distantem, Cato, teste Solino cap. VIII. à Catillo Arcade præfecto classis Euandri conditam refert; Silius Italicus lib. VIII. Hinc Tibur Catille, tuum. Seruius in illud Virg. VII. Aeneidos, Tum gemini fratres Tiburtia mœnia linquunt, Fratris Tiburri dictam cognomine gentem: Catillusque, acerque Coras, Argiua iuuentus:

De Grecia, inquit, tres fratres venerunt ad Italiam, Catillus, Coras, Tiburtus. Hi simul omnes vnã fecere ciuitatem, & eam de fratris maioris nomine Tibur appellauerunt; Licet & alias fecerint singuli: Vnde & mons Catilli, quem Carelli dicunt per corruptionem, & ciuitas Cora. Duobus igitur fratribus ad bellum proficiscentibus, in ciuitate ad custodiam Tiburtus, siue Tiburnus remansit. hæc

Seruius